17

HONOR
URSINORUM
ET PRÆDICATORUM
FAMILIÆ

Abundè reſtitutus

A BENEDICTO XIII.
PONTIFICE OPT. MAX.

In ejus ad Pontificatum Aſſumptione.

ORATIO

In publicâ Academiâ habitâ
in Collegio Nazareno.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

ROMÆ MDCCXXIV.

In Typographia Hieronymi Mainardi, in Platea
Montis Citatorii.
SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

ORATIO

SI rerum Dignitati par Oratio afferri debet, & Virtuti, quæ laudatur, non abſimilis eloquentia, ut ſummi Oratores ſenſerunt, noſque exemplis ſuis admonitos eſſe voluerunt; in ipſo ego dicendi limine jam mente concidere incipio, jam verbis deficere, & motu quodam incredibili timoris, ac reverentiæ interiùs, exteriùſque vehementiſſimè perturbari. Nam qvum & ætatem meam, & ingenii mei vires exiguas confero cum onere, quod mihi maximum impoſitum eſt, mihi ignoſcendum eſſe puto, ſi ei quodammodò ſuccenſeo Virtuti, quæ magnitudine ſuâ omnes longè exceſſit hujus facultatis limites; & id ſi minùs mihi ignoſcatur, hoc ſaltem concedi velim, ut liceat mihi palàm conqueri mecum de tenuitate meâ, quæ, ſi integrum eſſet munus hoc detrectare, non levem ſanè apud Sapientes homines temeritatis, atque audaciæ notam ſubiret. Quì enim poſſum rudi, incultâque oratione complecti Laudes maximas, atque auguſtiſſimas Benedicti XIII. Pont. Opt. Max., qui tantùm Virtute cæteros homines antecellit, quantùm ab iis ſummâ Dignitate ſuâ nuper receſſit? Quì Eccleſiæ Catholicæ felicitatem, quæ ab hoc fonte uberrimè exoriens jam jam Orbem Terrarum completura eſt? Quì hujus Urbis feſtos dies inſtitutos, plauſumque omnium Ordinum, & lætitiæ publicæ decus, quod in anguſtiis animorum, ſaltem in bonis omnibus, ægrè contineri ſe patiens erumpit in liberas voces, & ſerenis frontibus eorum, qui tacent, quodam honeſtiſſimæ voluptatis certamine triumphat? At quid? Hæc Laus ſit vel maxima abſoluti numeris omni-

Digitized by Google

bus Summi Pontificis noſtri Chriſtifidelium communis lætitia, ac propè beata exultatio. Hæc illa eſt una, quæ me tantarum rerum cogitatione defixum æquè, ac perterritum recreat, & reficit, per quam, cur enim liberè non fatear? & animo quoque meo intimè perfuſam aliquid è multis, quæ ſanè Orationi deerunt, acceſſurum planè confido. Occurrunt igitur mihi primùm Familiæ duæ præclariſſimæ, quarum altera cum BENEDICTO XIII. ſanguine continetur, altera Religione, illa URSINA, unde gloriæ ſummam celebritatem accepit, hæc DIVI DOMINICI, quæ clariſſimi generis ſplendorem abundè cumulavit. Utrique autem Familiæ qvum infinitis propè nominibus obſtrictus eſſet Præſtantiſſimus Adoleſcens URSINUS, tantùm abfuit, ut in rependendâ utrique gratiâ animum deſponderet, quin potiùs decus omne ab utrâque acceptum cumulatiſſimè reſtitueret. Quod dum oſtendero eâ, quâ poſſum, diligentiâ, nolite intueri, Auditores, quid dicam, ſed de quo, nec repræhendendum putetis non tam dicentem, quàm imminuentem ea, quæ unicuique vel peritiſſimo Oratori poſſent ex ubertate ſuâ, & magnitudine ſpem amplificandi prorſus auferre.

Ut autem hinc incipiam unde omnis Laus duci ſolet, tantus eſt ſplendor in Gente Urſinâ, tanta in verâ illius laude dignitas, ut ſi de illâ dempto nomine quis loqueretur, non de unâ ſolùm, ſed de multis celeberrimis familiis ſermo haberi videretur. Eandem illam eſſe, atque Aniciam nemo gnarus antiquitatis ignorat: Aniciam verò poſt hominum memoriam fuiſſe ex omnibus Patriciis clariſſimam, ac facilè Principem quis poſſit inficiari? Verùm ne ego longiùs abeam, quàm poſſit mens mea præteriti longè temporis memoriam reſpicere: quæ regio in Europâ per mille annos, quis Ordo in Chriſtianâ Republicâ, quod Munus præclarum, quæ Virtus non ſe jactat aut

ab

ab aliquo Viro Urſini Generis ſingulari, aut ab ſpectabili Fæminâ illuſtratam? Domus hæc æmula Patriæ ſuæ Terrarum Dominæ ampliſſimis honoribus ornata tot ſummos Duces Exercituum, tot Senatores, tot Præfectos Provinciarum, tot Conſules Romanos habuit, quot ne in ampliori quidem Provinciâ, aut Regno poſſint recenſeri. Alii ſupremo Equeſtrium Ordinum Magiſtratu Nomen ſuum, & ſuorum illuſtrârunt: URSINI verò quantam, Deus immortalis, gloriam, quantum ſplendorem & Templariorum Equitum; & Teutonicorum; & Hieroſolymitanorum Ordinibus, quibus ipſi præfuerunt, Virtute, ac dignitate ſuâ contulerunt? At hæc externa quodammodò, & aliena. Obtinuerunt olim imperio, ut, quæ floret modò, Ducis Gravinæ ampliſſimam ditionem prætercam, Aſcaniam, Herciniam, Cliviam, & Veſtphaliam in Germaniâ, Rhemos clariſſimam in Galliâ Urbem, Anglajam in Dalmatiâ, complura in Sabinis oppida, Tarentum Phalernum, Amalphim nobiles Urbes, Flaminiam, Umbriam, aliaſque in Italiâ Provincias: Obtinuerunt, inquam, clariſſimas duas Septem-Virorum Auguſtalium ſedes, Brandeburgum, & Saxoniam, in quibus viginti Urſinæ Familiæ Viri Principes geminato ad Romanum Imperium ſuffragio non minùs, quàm illius potiundi jure floruerunt.

Quòd ſi huic Familiæ Regium nomen defuit, non Regale Imperium, non poteſtas certè defuit, qvum eò gloriæ pervenerit, ut Reges ipſi ab eâ ſplendorem mutuum acceperint. Traditæ ſunt enim nuptui potentiſſimis Regibus Urſinæ Fæminæ Bathildis Clodoveo II. in Galliâ, Primiſlao in Poloniâ Agnes, Belæ in Hungariâ Cunegunda, atque octo aliæ, quas Saxoniæ, Sveciæ, atque Angliæ Reges in matrimonio habuerunt. Neque hìc loquar novem illuſtres, Regioque Sanguine ortas Fæminas, quæ in ampliſſimam Urſinorum Familiam nupſerunt: quando-

quidem non modò Reges, ſed Imperatores ipſi Filias ſuas in matrimonium Urſinis Principibus tradere minimè dubitârunt. Quis enim ignorat Albertum I. Hermanno Urſino Annam, Rodulphum I. Othoni Heduvigem, Othonem IV. Alberto Helenam, Ludovicum Pium Popponi Gondevinam Patre, Avoque Carolo Magno clariſſimam matrimonii jure conjunxiſſe?

Magna quidem ſunt hæc, atque ornatisſimá: levia tamen videri poſſunt, ſi cum iis honoribus conferantur, quos in Urſinam Domum Eccleſia Romana ejus Virtutibus excitata ampliſſimè contulit. Longum profectò eſſet recenſere aut ſacros Antiſtites, quorum ſapientia famam, multitudo fidem ſuperat, aut quadraginta Cardinales amplisſimos, quorum alii conſilio, rerumque agendarum auctoritate, alii doctrinâ, alii auſterioris vitæ ſanctitate longè clariores, quàm Purpurâ fuerunt. Satis ſit vobis ob oculos ponere Sanctiſſimos Pontifices de Chriſtianâ Republicâ optimè meritos, & Eccleſiaſticæ libertatis Aſſertores acerrimos Stephanum III. S. Paulum I. Stephani Fratrem, Cæleſtinum III. & Nicolaum III. per quos Urſinorum Dignitas ad omnem Poſteritatis memoriam propagata eſt. Quid autem dicam de tot Viris, ac præſtantiſſimis hujus Gentis Fæminis, quorum memoria in Benedictione eſt? Quandoquidem ſuper humanam gloriam longè aſſurgentes alii relictis nempe magnis opibus, paternâque domo, alii Virginitate conſtantiſſimè ſervatâ, alii fide ſtrenuè propugnatâ, atque propagatâ, alii demum ſanguine pro Religione fortiter profuſo uberrima in Cœlis meritorum præmia ſunt conſeqvuti. Dies me profectò deficeret, nec vox, aut latera ſatis firma eſſent, ſi ſingula tam præclaræ, Auguſtæque Familiæ decora perſequi voluero. Evolvite, quæſo, ſacræ Vetuſtatis Annales; & illud non ſine ingenti admiratione comperietis, unum, & viginti ex Urſinâ gente felicíſ-

feliciſſimâ Cœlitum Faſtis fuiſſe adſcriptos.

Hanc verò gloriam adeò ſingularem, quam Petrus Franciſcus Urſinus, hoc nomine primùm appellabatur, a tot, tàmque præclaris in omni laude Majoribus acceperat, ſplendore ſuo ornatiſſimus Prædicatorum Ordo uberrimè cumulavit. Ad hanc autem Orationis partem antequàm veniam, videtur mihi exponendum eſſe breviter conſilium profectionis ejus, atque adeò celerioris fugæ ab ſinu, complexuque Propinquorum, qui in eo totam Familiæ ſpem collocaviſſe non immeritò videbantur. Is enim erat, quem ſicuti fortuna majorem natu, Romanumque Principem, ad ampliſſimum Patrimonium jure hereditatis obtinendum ſelegerat, ſic in eum natura detulerat elegantem formam perſpicax ingenium, vividum, atque igneum quiddam in facili animo, indolem ad magna, ad inuſitata, ad incredibilia factam, eos denique mores, qui omnium amorem in ſe facilè conciliarent. Probus igitur, ac ſapiens Juvenis qvum in Patris ſui, qui è vivis exceſſerat, Viri optimi, atque clariſſimi locum, imperiumque omnium Ordinum ſpe maximâ, atque gaudio ſucceſſiſſet, veritus prudenter, ne opes, deliciæ, faſtus, aliæque Principum illecebræ animum ſuum frangerent, ſimulato inviſendæ Italiæ ſtudio, minori natu Fratri res adminiſtrandas commiſit, ſeque Venetias contulit, ubi, quod dudum votis omnibus tacitus expetiverat, Divino afflante Spiritu in laudatiſſimam Divi Dominici Familiam nomen dedit, in quâ nonnullos Majores ſuos literis, & vitæ ſanctitate floruiſſe acceperat. Quod conſilium ubi percrebuit, qui non Matris amantiſſimæ gemitus, & lacrymæ, Deus bone? quæ non minæ potentiorum? quæ non vis, atque aperti conatus Principum, ut eum à propoſito deterrerent? Quanta ſanè fuerit, quàmque metuenda colluctatio hæc adverſus carnem, facilè quiſque intellget, qui Clementis IX. Pontificis Maximi operam,

auctoritatemque adhibendam fuiſſe perpendet, ut coſtantiſſimus cæteroquin Adoleſcens à vehementiſſimis propinquorum contentionibus vindicaretur.

Hìc autem quis poſſit mente concipere voluptatem, ac delicias Vincentii Mariæ, alio enim nomine, ut olim Jacob, poſt luctam cæpit appellari, qui victoriam hanc conſeqvutus mundum deſpectabat inferiùs jacentem, animo, manibuſque complectens ſacros illos parietes, qui ſe tegerent, atque defenderent? Putabat enim ſe tutò latitare poſſe, & nominis ſui gloriam non tàm Cœnobiorum latebris fore obrutam, quàm ſplendore Ordinis ipſius, qui qvum nobiliſſimis Viris ſit florentiſſimus ſingulorum decus minùs ſpectandum facit, numero, & præſtantiâ cæterorum. Qui verò acri ad literas ingenio erat, & animo ad virtutem facto, ubi potiſſimùm utrumque exercere poterat, quàm eo in Ordine, in quo cognatione quâdam perpetuâ doctrina cum integritate, atque innocentiâ ſemper fuit conjuncta? Quot ibi Viros intuebatur, tot ſapientiſſimos habebat Magiſtros, à quibus omnia ſcientiarum lumina facilè acciperet. Noverat ſe ab eo die, quo ſacras Divi Dominici Veſtes induerat, factum eſſe, ut JESU CHRISTI verbis utar, piſcatorem hominum, ad quorum animos vincendos, quàm ſplendidam, quàm aptam, quàm robuſtam ſupellectilem illi ſuppeditabant tot exempla eloquentiſſimorum Oratorum, tot argumenta doctiſſimorum Philoſophorum, tot primæ notæ Theologorum documenta, quos omnes docuit, docetque Angelus ille inter homines Div. Thomas, cujus doctrina divino Oraculo comprobata tantùm præſtare videtur cæteris, quantùm is, quem ore ſuo Deus commendat, omnibus humanis laudibus major eſt, atque ſublimior? Neque ſolùm verbis, aut argumentis pravos homines ad frugem bonam revocandos eſſe ſciebat, niſi quoque exempla Virtutum, quæ eloquentiſſima ſunt, adderentur. Hæc quàm multa, Deus im-

immortalis, quàm luculenta illi quotidiè obverſabantur ante oculos inter domeſticos parietes? Viget enim in illis, velut in ſede ſuâ moderatio, abſtinentia, forditudo, concordia; mira in iis, qui præſunt, humanitas, & prudentia, prompta in inferioribus obedientia, & alacritas, in omnibus ſingularis erga Deiparam cultus, zelus domûs Dei nulli comparandus, aſſiduus in ſalute animarum procurandâ labor, omnes denique Virtutes, quæ nullo vitiorum confinio lædi videntur. Horum bonorum heredes inſtituit Filios ſuos Aſſertor ille Fidei, Eccleſiæ Propugnator, infenſiſſimus hæreſum hoſtis, ac Victor Div. DOMINICUS, qui majus aliquid Elia præſtitit, qvum in cœlum raptus non ſolùm ad Div. Petrum Martyrem transmiſit duplicem Spiritum ſuum, ſed omni ſanctitatis genere florentiſſimum eundem & infractum laboribus ad Div. Vincentium, & portentoſum ad Div. Raimundum, & dulcem ad Div. Antoninum, & nitidisſimum ad Div. Hyacinthum, & acerrimum ad Div. Pium V., & doctisſimum ad Div. Catharinam, & ut paucis plura complectar, inſtar enim eſt omnium laudum, nullam tanti Viri, tàmque admirabilis laudibus parem eſſe orationem, omnia factum omnibus, quorum ducenti, & amplius Deo, Ariſque fruuntur, quatuor Summo Pontificatu condecorati, quinquaginta Vaticanâ Purpurâ, triginta Patriarchali Dignitate, quadringenti Archiepiſcopali, mille, & quingenti Epiſcopali ad memoriam temporum ſempiternam recolentur.

Verùm enimverò qvum tantam gloriæ acceſſionem ſibi factam ab Ordine ſuo perpenderet Tyro noſter, ſeq. illi ob id quàm maximè obſtrictum eſſe videret, ſtatuit totâ animi contentione virtutes, ſcientiaſque comparare, metuens ne fortaſſe nubem aliquam tam claris Nominibus, ſi leniùs, ac remisſiùs ageret, offundere videretur. Intelligebat enim ſapientisſimus Adoleſcens Majores poſteris ſuis patrimonium

Digitized by Google

Honoris, atque Amplitudinis multis laboribus partum ſemper hâc lege reliquiſſe, ut non ſolùm nihil ex eo imminuerent, ſed etiam quâcumque ratione poſſent, augere plurimùm conarentur. Quod quidem conſilium quàm ſtrenuè exequeretur, ſatis declarat ejus cum probitatis, & innocentiæ, tum doctrinæ, & eloquentiæ fama, quæ erumpens ex cellâ longè, lateque brevi tempore adeò pervaſit, ut Clemens X. Juvenem in Collegium Purpuratorum Patrum adſcriberet. Quod tùm Decus, quem Splendorem ſuis non contulit, qui eâ in ætate, quâ cæteri non dum honorum curſum inſtituunt, Romanam Purpuram Virtute ſuâ promeruerit? Promeruit ſanè, nec unquam magis, quàm qvum oblatam conſtantisſimè repudiavit. Quis enim poſt hominum memoriam ambitioſus honores, ad quos diù, multùmque aſpiraverat, tandem aſſeqvutus eſt tantâ voluptate, quantâ ille animi perturbatione, quantoque luctu ſummæ hujus Dignitatis nuncium Bononiæ accepit? Mutatus ſubitò in vultu color, vox intercluſa faucibus præ animi dolore, vis lacrymarum ingens, manus tremulæ Cœlum, Fratres, nuncium ipſum obteſtantes. Receptis tandem viribus, orat, atque obſecrat, ne gravisſimam hanc ſibi Crucem figant. Sed quid preces, quid lacrymæ poſſunt contrà vim Virtutis ſponte ſuâ præmium expoſcentis? Tantùm abeſt, ut hæc Clementem moveant, quin potiùs impellunt magis ad mittendum cum literis ſuis humanitate, & æſtimatione de eo plenisſimis ſupremum Ordinis Moderatorem P. Roccabertum; ex cujus auctoritate, ore, nutu qvum omninò penderet Urſinus, dubitari non poterát, quin ejus admirabilis in verâ Humilitate pertinacia vinceretur. Victa eſt profectò, ſed ſupremâ illâ Imperii ſeveritate, quâ aut dicto Majorum audientes eſſe debent Religioſi homines, aut Sacramenti Religionem impiè, nefarièque perfringere.

Quid hìc conſilii capiam, Auditores, quò me vertam,

quid

quid primum, quid poſtremum exequar? Tanta enim rerum ab eo optimè geſtarum copia, tanta veræ laudis ſeges obverſatur mihi ante oculos, ut dicendorum magnitudine territus cui orationis viæ inſiſtam, prorſus ignorem. Hùc accedit, quòd tàm hoſtis eſt acerrimus cujuscumque laudis ſuæ, quàm omnis virtutis ſtudioſiſſimus cultor: quarè vos primùm in hâc animi fluctuatione appellabo, florentiſſimæ Urſinorum, & Prædicatorum Familiæ, ut Decus illud, quod ſummus Vir ſingulari modeſtiâ ſuâ renuit, totum vobis tribuendum eſſe putetis. Quid enim magis proprium eſt, ac ſuum, quàm id, quod optimè meritis liberaliſſimè reſtituitur? Qvum ergo Urſinus Purpuram, quam Domi ſuæ contempſerat, reſumere cogeretur, inuſitatum quoddam vindictæ genus excogitavit, quod in primis animum meum ſummâ admiratione defigit. Nam ex Cœnobiorum humilitate ad ſedem Honoris revocatus quid immutavit in ſeverioris vitæ, quam ſuſceperat, ratione? Eadem ex lanâ veſtis interior, idem habitus plerunque uſu tritus, & aſſutus, eadem à vino, & lautis epulis abſtinentia, eadem jejunia, eædem vigiliæ, idem denique Homo Religioſus ſibi ſemper, & moderationi ſimillimus, qui eſſe, non videri bonus voluit, quid de ſe, ſuique incredibili contemptu ſentirent more ſuo liberiores homines parvi pendens, dum nullo conſcientiæ teſtimonio repræhenderetur. Hinc factum eſt, ut qui privatus inter Religioſos homines non tám didicerat ſubmiſsè de ſe, ſuiſque ſentire, quàm docuerat, Romanæ Eccleſiæ Princeps declaratus omnibus gentibus illud Chriſtianæ Humilitatis exemplum præberet, quod quiſque mirari poſſet, nemo facilè imitari. Ex Sodalitate ſuâ, ut eos primùm nominem, quos ſemper chariſſimos habuit, quis non obſtupuit, qvum aut ad pedes, & oſcula manuum Magiſtri Ordinis provolutum ad inſtar cæterorum, aut loco, qui primus obtigiſſet, quandòque ultimo ad menſam cum aliis aſſidentem,

tem, aut ea agentem in Cœnobiis, quæ aliquando detrectant infimi homines, Cardinalem Urſinum videret ? Quot verò peregrini, quot advenæ hoſpitio humaniſſimè ab eo recepti non debuerunt ferre, ut ſibi pedes ille manibus ſuis lavaret, & quod mirandum magis eſt, ore majeſtate pleniſſimo oſcularetur ? Dicamne pueros, quorum ſæpiſſimè circumfuſam turbam Purpuratus Pater facilitate illâ ſuâ Chriſtianæ Legis rudimenta edocuit, atque illorum animos non tàm verbis, quàm præmiis ad omnem pietatem amantiſſimè informavit ? Dicam obſcuro loco natos homines, fortunis deſtitutos, & infelices, quos multi importunâ gravitate, contemptuque ab ſe repuliſſent, ille autem familiariter ſemper excepit, attentè audivit, tulit patientiſſimè ? Minimè verò hæc, aliaque plurima diutiùs perſequar eâ in laude, quam nec capit, nec amat humana ambitio.

Nemo autem erit tàm incultus, aut aſper, quem ſincerus ille Urſini Amor in omne genus hominum non alliciat, atque devincat. Qvum igitur de hâc ejus Virtute apud vos dico, Auditores, nolite putare, me quiddam languidum, frigidumve, aut ſolùm facie tenus ſpectabile verbis extollere, ut plurimùm hâc tempeſtate fieri ſolet: de ſincerâ, eâdemque ſingulari illius Charitate loquor, quâ libentèr omnes complexus eſt, aſſiduè omnibus opitulatus, nec preces expectans, nec perſonas intuens, nec laudi ſerviens, nec ſui, ut ita dicam, memor conſilia, ſtudium, ſollicitudinem, fortunas, ſeipſum denique omnium ſaluti liberaliter eſt elargitus. Nôrunt quid dicam præ cæteris Urbibus Sipontum, Cæſena, Beneventum, quas non tàm Pontificatu ſuo, quàm ſummâ liberalitate illuſtravit. Apud illas enim gentes feliciores quodammodò, ac beatiores videbantur ii, qui majori rerum omnium inopiâ premerentur. Putent alii ſummam laudis eſſe in Epiſcopo penum re frumenta-

mentariâ laborantibus ſuppeditare, egenos ſuis etiam veſtibus tegere, adoleſcentes ab ocio opibus traducere ad honeſtiſſimas artes, Virgines à periculis, quæ plurima denunciat egeſtas, liberare: ego ſanè hæc omnia in Cardinali Urſino mediocria eſſe affirmo; nec miror illum miſeris perviam feciſſe Domum ſuam, bona, prædia; fundos, aut re quoque præſtitiſſe, quod olim Div. Joannes cognomento Eleemoſynarius facetis quidem verbis Deo dictitabat: *Sic Domine, Tu diſtribuendo, ego diſpergendo, videbimus, quis vincat*. Noverat quippè Vir omni pecuniæ, ſimiliumque bonorum cupiditate ſolutus, crebriſque uſurpabat ſermonibus, liberalitatem in miſeros ità eſſe propriam Epiſcoporum virtutem, ut, qui eam non habet, non Ovium Paſtor, ſed fur, & latro à CHRISTO ipſo compelletur. Quod autem nulla ſatis eloquentia prædicare poteſt, nulla complecti oratio, illud eſt, quòd non ſolùm commiſſæ ſibi Eccleſiæ cenſum ampliſſimum quotannis exhauſerit, verùm etiam Domûs Urſinæ fortunas ad liberalitatem, & munificentiam ſuam exercendam ſæpè adjicere non dubitaverit. Sed quid miramur? Non ſanè poterat ſine ingenti opum vi, atque copiâ Sacerdotum, qui magnæ Provinciæ populis præeſſent, ex inſtituto Majorum unoquoque anno Cœtum cogere, in quo pro Eccleſiaſticâ Diſciplinâ, probiſque moribus in omnes Ordines propagandis ſatis longo tempore, maturoque Patrum conſilio aut ſanctiſſimæ Leges ferrentur, aut aliàs latæ confirmarentur: non poterat aut vetuſtate collabentia templa reficere, aut nova magnificè à fundamentis excitare, non Xenodochia, aliaſque domos Chriſtianæ Pietati erectas muneribus augere maximis, non extruere Collegia, in quibus Religioſi Homines juventutem inſtituerent; quâ in re meus Scholarum Piarum Ordo ab eo Beneventum advocatus, Domoque Fundatore ſuo digniſſimâ receptus tot illius beneficiis devinctus eſt, ut ad agen-

das

Digitized by Google

das gratias ſe longè imparem fateatur, neque hunc ad id agendum, locum eſſe ſciam, neque tempus, quod ad grati animi recordationem perpetuum eſſe debet. Sed ne hæc Regia penè munificentia per me diutiùs imminuatur, ſatis ſit luculentiſſimum rei teſtimonium Beneventum intueri.

Nec longè, credo, à veritate aberravero; ſi tàm varia, tàmque clara Ædificia in memoriam Religionis ſuæ, animique gratiſſimi erga Divum PHILIPPUM Nerium ab illo erecta eſſe affirmavero. Qvum enim elapſo proximè ſeculo ingens terræ motus Beneventum inopinatò concuſſiſſet, ſoloque æquaviſſet in capita miſerorum civium ruentia tecta, qui ſuperſtites erant, magis de optimo Præſule, ac Parente Patriæ, quàm de ſe ſoliciti confluxerunt ad illius dirutas ædes; & qvum non tàm metu ejus mortis exanimati, quàm deſiderio vitæ impigri, ac operoſi certatim effracta laquearia, rudera, cæmenta dimoviſſent, invenerunt, proh rem admirandam! Div. Philippi Nerii Icone tectum, incolumem, ſoſpitem, ſolâ affectum calamitate aliorum. O prædicandam ſeculis omnibus neſcio an dicam Div. Philippi opem, an Vincentii Mariæ virtutem, quæ ſervanda eſſet ni mediis ruinis ad ſalutem hominibus dandam, & felicitatem Orbi terrarum! Servata eſt ſanè divinitùs, nec inde laboribus ullis ſuſceptis ad Dei Cultum amplificandum fracta: quin potiùs promptior, ac vividior difficilibus, & crebris itineribus, algoris, & æſtûs tolerantiâ, gravioribus ſtudiis, aſſiduis penè precibus, victu arido, incommodâ valetudine, quæ ſtipendia ſunt ampliſſima Apoſtolici Muneris, effecta eſt. Qui igitur nec ſe, ità dicam, nec ſua procuravit unquam, quantâ ſit integritate, quantâ juſtitiâ neceſſe eſt? Ut proclivis, & munificus in bonos, ita ſemper ſeverus fuit in improbos, quos nullibi, quoad potuit paſſus conſiſtere, ut ad frugem bonam revocaret, nihil unquam

quam prætermiſit. Ab illo nulla hominum conditio, nulla ætas, nullus ſexus aut gratiâ, aut timore quidquam obtinuerunt, preces, & interceſſiones apud eum ſuperfluas rati, qui præmia virtuti concedenda ultrò offerret, pœnas peccatis æquas incredibili conſtantiâ irrogaret. Ne tamen putetis, aut ad minas deveniſſe, ubi ſingulari prudentiâ animadverteret malo occurri poſſe humanitate, & clementiâ, neque ſupplicia unquam decreviſſe, ubi metum, minaſque ſatis fore ad homines in officio continendos, prævideret. Hæc ipſius erga ſingulos æquitas, hæc cura. Qvum autem publicè aut probitatem laudaret, aut vitia perſtringeret, quos non in animis motus excitavit gravi eloquentiâ, quas non ab oculis auditorum lacrymas dolore pleniſſimas exhauſit? Felix Beneventum, beati ejus Provinciæ incolæ, qui antiqua illa Lumina Sanctitatis, & Doctrinæ Auguſtinum Hipponi Regio, Ambroſium Mediolano, Chryſoſtomum Byzántio non invideretis. Audiviſtis per quadraginta ferè annos Purpuratum Præſulem veſtrum ſanctè, graviterque concionantem, cujus in vultu innocentiam, in voce, ac geſtu acre, perpetuumque odium vitiorum, in toto corpore animum zelo ſalutis veſtræ ſuccenſum intueremini. Neque audiviſtis ſolùm, aut vidiſtis, ſed etiam vim quandam fortiſſimam benè, moderatèque vivendi ab ipſius exemplis vobis inferri & ſenſiſtis, & operibus declaraſtis. Ubi enim terrarum ſinceriùs, & ſplendidiùs, quàm apud vos Religio colitur, ubi frequentior, & dignior Sacrorum uſus, ubi rerum divinarum peritior, excultiorque populus? Sacræ Ædes perpetuo quodam confluentium numero, & reverentiâ magis admirabiles, quàm nitore parietum, & Altarium, mutuus inter cives amor, vultus, verba, habitus ad omne argumentum modeſtiæ facti, theatra, popinæ, gurguſtia in ſedes continentiæ, ſobrietatis, pudicitiæ commutata: Vrbs denique ipſa, & Provincia univerſa Sacerdo-

tum

tum doctrinâ, & integritate, omnium Ordinum, aut ſpontaneâ legum obſervantiâ, aut metu pœnæ ad beata illa primæve Eccleſiæ tempora propiùs acceſsiſſe videntur.

Quæ omnia eam Cardinali Vrſino pepererunt laudem, quâ nihil æquius, nihil uberius, nihil verius omnes ætate noſtrâ gentes audiviſſe ſe palàm fatentur: cuique ego ſi plurimùm dicendo detraxi, aut tacendo præterivi, quod in tantâ rerum optimè geſtarum luce contingat unicuique, neceſſe eſt, nihil ſanè detraxerunt, aut imminuerunt in Comitiis proximis Purpurati Patres: Purpuratos Patres dicam, an vim illam Cœleſtem, quæ in tanto animorum, tàmque præclaro motu, atque concordiâ penè viſa eſt oculis noſtris, & ab hâc imbecillitate noſtrâ penè contacta? Vis illa eſt profectò, quæ ſapientiſſimorum Patrum voluntates pervaſit, & inflexit, metum omnem ſeveritatis abſtulit, vocem, calamum, ſuffragia firmavit, quam huic Vrbi, atque Imperio partâ hâc tantâ Felicitate præſidere in poſterum hoſtes Eccleſiæ non inficiabuntur. Vis, inquam, illa eſt Cœleſtis, ac Divina, quæ Bonorum votis, temporum calamitate, virtutibus Cardinalis Vincentii Mariæ Vrſini mota BENEDICTUM XIII. Summum verè Pontificem renunciavit.

Quid igitur ſupereſt, niſi ut Vobis primùm felicitatem veſtram gratuler, præclariſſimæ Vrſinorum, & Prædicatorum Familiæ? Ab alterâ enim veſtrum Nomen, Genus, & eum ſplendorem accepit, quem qvum ſapientiſſimè ſemper contempſit, longè præclariorem effecit; ſiquidem nullâ re magis fluxa hæc, & caduca bona illuſtrantur, quàm ſapientis Viri contemptu. Ab alterâ verò ſe totum quod eſt, quod prodeſt, quod ſcit, neſcio an veriùs, quàm gratiùs ſe accepiſſe non ſemel faſſus eſt: Quid autem ſplendidius, quid glorioſius Ordini cæteroquin ampliſſimo contingere poteſt, quàm de ſe hoc fateri Summum Pontificem?

Ac

At quidquid illud ſit, certè ſiquem ab utrâque Honorem recepit, hiſce potiſſimùm temporibus non reſtituit modò ſummâ Dignitate, quæ ad ipſum niſu toto, & lacrymis ſinum, Veſteſque Pontificias implentibus fruſtrà repudiantem delata eſt, ſed etiam obruit luce ſuâ, in quâ extincta olim, ſi tamen ullâ ætate extingui poſſunt, clariſſima Vaticani Lumina, quæ ſuper Candelabrum, ut lucerent omnibus, qui in Domo Dei erant, ab utrâque Familia poſita ſunt, reviviſcere intuemur. Quis enim deſideret in Benedicto XIII. Stephani III. fundendi ad Deum preces penè aſſiduum morem? Quis ejus fratris Sancti Pauli I. profuſam liberalitatem in egenos, Templa, Cœlites? Quis Cœleſtini III. qui poſtquam ſexaginta quinque annos, hoc enim tacitus præterire non poſſum, ſplenduiſſet in Romanâ Purpurâ, & præclarè factis, octoginta quinque annos natus fortis, ac vividus Senex oblatam ſibi communibus ſuffragiis Eccleſiam ſuſcepit, & ſeptem annos juvenili quodam robore, ac mente firmâ, & omnia proſpicienti ſapientiſſimè adminiſtravit: quis, inquam, ejuſdem Cœleſtini, ut vitæ curriculum non valdè abſimile, ſic conſtantiam, & fortitudinem? Quis demum Nicolai III. fidem, probitatem, aut lacrymas, quibus madebat, quotieſcunque Sacrum faceret? Ut autem Vrſini Pontifices in hoc uno Poſterorum ſuorum Maximo florere iterum incipiunt, ſic Doctrina præſtantiſſima Innocentii V., quam non tam ab obtrectatorum injuriis vindicavit Lux Orbis univerſi Div. Thomas, quam ſeqvutus eſt; ſic moderatio, & Humilitas Benedicti XI., qui docuit cum ſummis Honoribus ſummam quoque animi demiſſionem conjungi poſſe: Sic Zelus, ſic Auctoritas, ſic Juris, ac libertatis Eccleſiæ vindiciæ, ſic in hoſtes fidei odium Sancti Pii V. certatim Benedicti Sedem circumſtant, muniunt, & tuentur.

Ad vos poſtremò ſermonem convertam; Chriſtianæ Gen-

Gentes, quæ qvum Deo Immortali immortalibus quoque beneficiis obſtrictæ eſtis, hoc certè illi debetis plurimùm, quòd Pontificem habeatis ad communem utilitatem fâctum, cujus mens una eſt, unum ſtudium vos à calamitatibus veſtris, vel periculo ſuo eripiendi, unumquemque & miſerum hominem amplectendi, illique liberaliter opitulandi. Accedetis Romam anno proximè venturo, qvum de more Majorum omnes cœleſtis gratiæ Theſauri omnibus aperientur, & videbitis Vrbem, ut Religione nationibus univerſis præpoſitam, ſic virtutum omnium exemplis illuceſcentem. PONTIFICE BENEDICTO, qui in illuminatione Vultûs ſui ponet ſeculum noſtrum, ac beata illa tempora inſtaurabit, in quibus rerum omnium ubertas inopiam, ſumma animorum concordia diſſidium, labor, ac ſtudium ſocordiam, Pietas, ac Religio vitiorum colluvionem longè ab hominibus arcebunt, ac Felicitatem nullo periculo, nulloque metu perturbatam Orbi Chriſtiano reſtituent.

F I N I S.

VA1
1544552

Digitized by Google